

quorumque quibusdam Gaius, si ipsam scientiam spectes, vix comparari potest, eum aperte imitati vel tecte ab eo mutuati sunt. Grammatici quoque ex hoc praecipue libro, quae ad ius civile pertinerent, petierunt. Ruente vero imperio tam occidentales Visigothi in breviario Alariciano Gaium, ut ferre eum poterant, rursus scholis suis praefecerunt, quam in oriente Iustinianus, dum novas parat Institutiones, maxime Gaianas cum rebus quotidianis, ex quibus et ipse ius didicerat, suas fecit, unde eum Gaium 'nostrum' appellare (prooem. I. § 6, § 5 I. de publ. iud. 4, 18, const. Omnem reip. § 1) sane mirum non est. Ita vero Gaius, alio licet sub nomine et multifariam deformatus totius generis humani magister in iure civili factus est. Sed sicut gemmae ingenuus ignis nec extingui longo situ ac pulvere nec perpetuo a cognata luce praepediri potest, ita nostra aetate etiam genuinae Gai Institutiones e multorum saeculorum oblivione resuscitatae denuo efficacissimum acrioris studii ac penitioris iuris civilis cognitionis fermentum evasere.

EX HVSCHKII PRAEFATIONE AD EDITIONEM QVINTAM.

Itaque iam ad ultimos vitae humanae limites pro-
 vectus dimitto Gaium meum et non sine magna animi
 mei commotione vale ei dico, tanquam tot per annos ut
 vegetae ita nunc deficientis aetatis fido amico et comiti,
 qui nunquam non plus beneficii utilia docendo et de-
 lectando in me contulit, quam ei ab iniuriis librariorum
 aliorumque defendendo retribuere potui. Scrib. Vratisl.
 mense Aprili 1885. [Obiit Huschke d. 7. Februarii 1886,
 natus d. 26. Iunii 1801.]
